

1817
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUÆRIS PENINSULAM AMŒNAM
CIRCUMSPICE

QUAESTIONES VESTIARIAE.

SCRIPSIT

GUALTHERUS MUELLER
LUBECENSIS.



GOTTINGAE.
APUD DIETERICH (L. HORSTMANN).
MDCCCXC.

PATRIS CARISSIMI

MEMORIAE

SACRUM.

Argumentum.

I. De Graecorum tunica virili (χιτών).

II. Quid differt inter vestitum homericum et atheniensem sexti saeculi ineuntis?

III. De Atheniensium lintea tunica muliebri.

IV. De vocabulis χιτώνιον ἡμιδίπλοΐδιον κροκωτίδιον similibus.

V. De Atheniensium virili vestitu saeculi quinti.

Imprimis his libris usus sum:

F. Studniczka, Beiträge zur Geschichte der altgriechischen Tracht. Abh. d. arch.-epigr. Sem. d. Univ. Wien. VI, 1. Wien 1886. (= *Beitr.*)

W. Helbig, Das homerische Epos aus den Denkmälern erläutert. 1. Aufl. Leipzig 1884; 2. Aufl. 1887. (= *Epos.*)

J. Boehlau, quaestiones de re vestiaria Graecorum. Wimariae 1884. (= *Boehlau.*)

Perrot-Chipiez, histoire de l'art dans l'antiquité. I—V. Paris 1882—89. (= *Perr.-Chip.*)

Baumeister, Denkmäler des klassischen Altertums. München 1889. (= *Bm.*)

Brunn-Bruckmann, Denkmäler griechischer und römischer Skulptur. München. (= *Brunn-Bruckm.*)

Gerhard, auserlesene Vasenbilder. Berlin 1846—52. (= *Gerh. A. V. B.*)

I.

De Graecorum tunica virili (χιτών).

Helbigius (*Epos*[1] *p. 115, ib.*[2] *p. 175 sqq.*) et Studniczka (*Beitr. p. 19, p. 58 sqq.*) longam tunicam linteam virilem homerica aetate a Graecis et in Asia et in Graecia ipsa gestatam fuisse magis coniecerunt quam demonstrarunt. Uno enim loco nituntur: *E* v. 734 (= *Θ 385*), ubi Minerva fingitur suum peplum exuens et Iovis patris tunicam induens. Cum deae vestis longa sola conveniat, tunicam Iovis longam fuisse. At primum Helbigius ipse (*p. 177, adn. 2*) exemplum affert Palladis brevi tunica vestitae. Alia exempla, ut dearum, quae cum celeriter agere et se movere debeant, ab artificibus et antiquioribus et recentioribus breviore tunica induuntur, ut Harpyiae paterae aegineticae (*Arch. Zeit. 1882, Tf. 10; Berlin 1682*), Iris (*in vase Françoisio, Wiener Vorlegebl. 1888, Tf. 1; ib. Ser. E, Tf. V, 1a*), aliae, haud ita apta sunt ad demonstrandum. Cur autem Minerva peplum cum tunica longa mutavit, qua ipsa ingrediens et pugnans non minus impediebatur, quam peplo? Sed omnino tam acriter, tam subtiliter in poetae verba inquirere num rectum sit, valde dubito. Qui nihil fingere voluit nisi Minervam muliebri

vestitu abiecto sese armantem quibuscunque rebus militi homerico opus erat, praeterquam quod pro lorica aegidem sumit. Utrum vero tunica usque ad genu an ad pedes penderet, non curavit poeta. Sed accedunt alia. χλαῖνα enim saepius ἐκταδίη appellatur (*κ 134*), φᾶρος similiter μέγα (*κ 543*); de tunica simile vocabulum non usurpatur. Nam τερμιόεις illud ad limbum spectare Studniczka recte monuit (*Beitr. p. 58 sq.*). Nunquam tunicas inter se differentes poeta significat. Nestor eodem modo eam περὶ στήθεσσι induit (*κ 131*) quo Telemachus περὶ χροΐ (*ο 60*). Frustra quaerimus vocabulum illud ἑλκεχίτωνες saepius repetitum; semel invenitur et eo loco (*N 685*), quem posteriore aetate compositum esse homines docti inter se consentiant (*cf. Studn. Beitr. p. 58*). Idem scriptum videmus in hymno Apollinis (*v. 147*), qui quando compositus sit, dubium est: septimo saeculo plerique concedunt (*cf. Gemoll, d. homer. Hymnen, p. 118*). Tum igitur Iones longam tunicam adoptaverant, sed utrum tantum vestis festiva fuerit an cotidiana, diiudicari non potest. Eodem spectant Asii versus aetatis posterioris (*Athen. XII, 526 sq.*): Samii in templum Iunonis ingrediuntur

πεπυκασμένοι εἵμασι καλοῖς
χιονέοις τε χιτῶσι πέδον χθονὸς εὐρέος εἶχον . . .

Certiora vero testimonia ex eis fragmentis colligere possumus, quibus quo modo Graeci in ora asiatica habitantes paulatim mollitiei et effeminationi asiaticae cesserint, narratur. Quae ex tribus rebus cognosci solent: e tunica longa interdum purpureo clavo praetexta (χιτὼν περιπορφυροῖς), purpureo pallio (ἱμάτιον ἁλουργές), crinibus unctis et auro ornatis. Qualem vestitum Erythris iam Ortyges et Amphicles Chius inducere conati sunt Cnopo victo; sed paulo post Hippotes, frater Cnopi,

Ortygem cum pepulisset, ipse tyrannus factus est. Sic Codridae iterum Erythris regnabant, et cum eis fortasse vetus simplicitas morum. [*Athen. VI, 259 c.*] Etiamsi nomina vera esse haud verisimile est, hoc tamen apparet: quosdam graecis coloniis potiri esse conatos et primos inducere mores asiaticos molliores. Quos re vera in oppida graeca magis magisque transisse Colophoniorum rebus demonstratur. De quibus Athenaeus (*XII, 526 a*) enarrat:

Κολοφώνιοι δ', ὥς φησι Φύλαρχος, τὴν ἀρχὴν ὄντες σκληροὶ ἐν ταῖς ἀγωγαῖς, ἐπεὶ εἰς τρυφὴν ἐξώκειλαν πρὸς Λυδοὺς φιλίαν καὶ συμμαχίαν ποιησάμενοι, προήεσαν διησκημένοι τὰς κόμας χρυσῷ κόσμῳ, ὡς καὶ Ξενοφάνης φησίν.

Sequitur Xenophanis fragmentum (*Bergk. poet. lyr. fr. 3*):

Ἁβροσύνας δὲ μαθόντες ἀνωφελέας παρὰ Λυδῶν
ὄφρα τυραννίης ἦσαν ἄνευ στυγερῆς,
ἤϊσαν εἰς ἀγορὴν παναλουργέα φάρε' ἔχοντες
οὐ μείους ὥσπερ χίλιοι εἰς ἐπίπαν,
αὐχαλέοι χαίτῃσιν ἀγαλλόμενοι εὐπρεπέεσσιν
ἀσκητοῖς ὀδμὴν χρίμασι δευόμενοι.

Etsi tunicae *ποδήρεις* ipsae non commemorantur, tamen omnia ad vestitum illum asiaticum videntur spectare, ita ut tunicae fortasse inter *φάρεα* numerandae sint. Lydorum tyrannidem altero versu a poeta significatam esse verisimile est (*cf. Bergk. l. l.*). Nam Aristoteles (*Pol. p. 1290 b*) plures Colophoniorum, antequam bellum lydium coepisset, magnas divitias sibi peperisse enarrat. Praeterea illi mille cives[1]) spectant ad timocratiam, quae in omnibus fere oppidis graecis orae asiaticae inducta est post

---

1) Quod confirmat Theopompus (*Athen. XII, 526 c*): *χιλίους ἄνδρας αὐτῶν ἁλουργεῖς φοροῦντας στολὰς ἀστυπολεῖν,* si non e Xenophane hausit.

tyrannos aut optimates pulsos inter annos 650—600. [*Duncker, Gesch. d. Altert.*[5] *II, p. 591 sqq.; VI, 289.*] Qua cum re congruit, quod Colophonios cum Lydis Phylarchus (*l. l.*), cum Alyatte Polyaenus (*strat. VII, 2, 2*) foedus fecisse memoriae prodit, quod populo regnante factum esse magis consentaneum est, quam tyrannis aut optimatibus, quippe quibus semper a Lydis bellum illatum sit. Alyattes autem fidem non praestitit (*Polyaen. l. l.*); num vero Colophonios sub potestatem Lydorum redegerit versusne Xenophanis ad Alyattis an Croesi aetatem tendant, dubium est (*Schubert, Gesch. der lyd. Kön. p. 49 sq.*). Utut est, haud errabimus, si populo regnante, h. e. intra saeculum septimum mores asiaticos Colophonem ingressos esse coniciemus.

Sed Lydos ipsos non semper tunicam longam gestasse apud Herodotum (*I, 155*) scriptum videmus. Cyro enim Sardes deleturo Croesum persuasisse, ut oppido parcens Lydorum vires alio modo diminueret, cf. feminatione: *κέλευε δέ σφεας κιθῶνάς τε ὑποδύνειν τοῖσι εἵμασι καὶ κοθόρνους ὑποδέεσθαι, πρόειπε δ' αὐτοῖσι κιθαρίζειν τε καὶ ψάλλειν καὶ καπηλεύειν παιδεύειν τοὺς παῖδας*[2]). Cyrum sic iussisse. Sed repugnat alter locus (*I, 84*): *Σάρδιές τε ἡλώκεσαν καὶ πᾶν τὸ ἄστυ ἐπορθέετο.* Hoc verum esse, totam narratiunculam Sardium servatarum a Lydis ipsis fictam esse apparet. [*Schubert, l. l. p. 108.*] Attamen mores Lydorum et vestitum aliquando commutatos esse verum videtur, quamquam ante annum 546 (*548?*)

---

2) Similiter Plutarchus aut is, cuius libro usus est, Herodotum imitatus a Xerxe Babylonios victos fidibus tibiisque canere et scortari et cauponari et sinuatas tunicas gestare iussos esse tradit. (*Plut. apophthegm. 173.*)

factum est. Sed Lydi hanc rem cum Croeso et bello Persico coniunxerunt fortasse id agentes, ut et dedecore oppidi deleti et opprobrio mollitiei asiaticae liberarentur vel potius mores laxiores excusarent. Verbis igitur *κιθῶνάς τε ἱποδύνειν* nihil aliud significari videtur nisi: longas tunicas induere, quae antea non gestabantur [3]). Quae quando primum a Lydis usurpatae sint, prorsus nescimus. Hoc vero concludere possumus: quia Lydi quinto saeculo mutationis morum bene reminiscuntur, quatuor saeculis ante facta esse non potest.

A Colophoniis etiam Milesios aliosque finitimos recepisse novos mores Clearchus memoriae prodidit. [*Athen. XII, p. 524 b.*] Quod plerumque eadem aetate factum videtur esse, qua res novas moliebantur et controversiae de principatu inter optimates et plebem exoriebantur, et compluribus annis postquam cum Cimmeriis bellum gestum erat. Heraclides quidem Ponticus (*Athen. XII, p. 523 f*) *'Η Μιλησίων*, inquit, *πόλις περιπέπτωκεν ἀτυχίαις διὰ τρυφὴν βίου καὶ πολιτικὰς ἔχθρας*, et Ephorus (*Athen. XII, 523 e*): *Μιλήσιοι δ', ἕως οὐκ ἐτρύφων, ἐνίκων Σκύθας.*

Luxuriam etiam in Magnam Graeciam pervenisse atque imprimis a Sybaritis adoptatam esse constat. Sed cum nobis tradatur (*Diog. Laërt. VIII, 1, 19*) Pythagoras, Crotonem profectus laneis vestimentis se induisse, quia lintea illis temporibus eo nondum pervenissent, Ti-

3) Baehrium (*adn. ad eum locum*), qui non tunicam, sed 'alterum vestimentum (*εἷμα*) luxuriae indicium haberi' putat, sequi non possum. Quod si voluisset, Herodoto scribendum fuit aut *τούς τε κιθῶνας ὑ. εἵμασι*, aut dilucidius: *περὶ τούς τε κιθῶνας ἀμφιέννυσθαι εἵματα.*

maeus (*Athen. XII, 522 a*) autem etiam Crotoniatas Sybari deleta (*h. e. anno 510*) luxuriae se dedisse enarret, colonias Italicas compluribus saeculis post urbes patrias molliorem vestitum adoptasse vix persuadere nobis possumus.

Siritae quoque, quorum oppidum colonia erat Colophoniorum circa annum 700 condita, effeminabantur luxuria cognita non domi, sed in Italia, ut e voce ἐξώκειλαν videtur elucere. Et gestabant ἀνθίνους χιτῶνας, qui ad pedes defluentes existimandi sunt, quod Siritae zonas pretiosas ferentes a vicinis μιτροχίτωνες appellabantur. Cingulum autem in brevi tunica mirum non erat, ergo longa fuit tunica (*Eustath. p. 1056, 55; Athen. XII, 523 c*).

Ex his omnibus verisimile mihi videtur non ante saeculum septimum luxuriam asiaticam, cuius erat χιτὼν ποδήρης, in oppida graeca Asiae minoris esse ingressam. Itaque ne ab Atheniensibus quidem antea novam vestem gestatam esse conicere possumus; et inter tunicam longam a viris et a mulieribus receptam non tantum temporis interest, ut mirandum sit. Studniczka enim (*p. 19*), ut supra dixi, non dubitat, quin illa compluribus saeculis antequam a mulieribus Atheniensibus gestari coepta esset (*anno 568*), a viris usurpata fuerit. Quod per se ipsum verisimile non erat. Nam ut mulieres antiquiore aetate magis domi occlusae haud ita facile communiter mores vestiarios mutare potuerint, tamen per tria fere saecula ne conatas quidem esse tunicam linteam sibi accommodare vix quisquam sibi persuadeat. Sed quis tandem mulieres Athenis domi ita retineri consuesse suo iure contendat? Ubi quidem e monumentis, quo modo vestes mutatae sint, quaerere possumus, mulieres statim viros secutas esse aut vice versa cognoscere possumus. Atque

e Plut. Sol. c. 21 mulieres domos raro reliquisse minime apparet.

Sed tunicam longam homerica aetate Graecis notam fuisse ne monumentis quidem demonstratur. Praetermitto ea, quae Tirynte, Mycenis, Vafii, Orchomeni reperta sunt, quia ad quam gentem referenda sint, adhuc dubium est. Sed in vasis ad Dipylon repertis, quae Athenis confecta esse homines docti nunc inter se consentiunt, longa tunica frustra quaeritur [4]), etiam apud aurigas, qui illa ubi primum invenitur, vestiti cernuntur (*cf. Bm. fig. 2071 = Mon. IX, 39, 1; 40, 1; Annali 44, 1872 Tv. J.*). Ut in vasis duobus quorum alterum ad Hymettum (*Helbig² p. 177; Furtw. Katal. No. 56; Jahrbuch 1887, Tf. 5; Bm. fig. 2079*), alterum Phaleri repertum est (*Jahrb. 1887, p. 55, no. 13, fig. 20*) primum longa tunica et aurigae ficta est. Illa autem vasa Homeri fere temporibus facta sunt, quibus quidem homines repraesententur, haec inter aetatem homericam et Solonis.

Quare de origine tunicae virilis Graecorum nobis quaerentibus ab initio discernenda est brevis a longa.

Postquam igitur cum alii tum F. Studniczka de vocabulo χιτών accuratius quaesiverunt, haud dubium esse potest, quin tunica ab antiquissimo vestitu Graecorum aliena fuerit et non antequam asiaticarum gentium mores cognoscerent, recepta sit (*Studn. Beitr. p. 15 sqq.*). Cuius origo unde ducenda sit, pro certo affirmare non licet. Nam eandem vestem — dico brevem tunicam — apud Babylonios (*Loftus, travels and researches in Chaldaea*

4) Potuisse pictores amplas vestes pingere compluribus picturis docemur, cf. Bm. 2078 (= *Jahrb. II, Tf. 2*); Monum. IX, 39, 1.

p. 257; Perr.-Chip. II passim; Weiss, Kostümkunde I, p. 195 sq.), Assyrios (*Perr.-Chip. II passim, Weiss l. l.*), Phoenices (*Perr.-Chip. III, fig.* 351, 355), denique apud eas gentes invenimus, quarum in dicione Asia minor ante imperium Lydorum et Persarum fuit (*Perr.-Chip. IV, tab. VIII; Hirschfeld, Felsenreliefs Kleinasiens, Abh. d. Berl. Ak. 1886, p. 14, 34*). Etiam ab Aegyptiis interdum tunica, quamquam paulo longior, gestata videtur esse (*E. Meyer, Gesch. d. alt. Aegypt. ad p. 242*). Cum vero, praeterquam quod apud eos tunica antiquiore aetate non nota extrinsecus inducta esse videatur, ne vocabulum quidem χιτών aut simile quidquam in lingua aegyptiaca inveniatur (*Studn. Beitr. p. 16, adn. 41*), Graecos ab Aegyptiis vestem novam mutuasse non tibi persuadeas. Neque Phoenices ipsi eam, etsi similis forma vocis χιτών in lingua eorum et propinquarum gentium reperiatur (*Studn. p. 15*), in Graeciam videntur importasse. Quantum enim ex perraris mouumentis eorum colligere licet, antiquiore aetate nihil aliud gestabant, nisi 'schenti' illud, quo Aegyptii per tot saecula utebantur (*Perr.-Chip. III, p. 429 sqq.*). Octavo demum saeculo, cum Assyrii rerum etiam Asiae ad occidentem vergentis poterentur, tunicam longam ab eis videntur recepisse, brevem autem non crebro adhibuisse neque antequam Graecorum mores etiam in Asia innotescerent. Accedit, quod vocem χιτών e linguis semitici sexplicari non posse homines docti testes sunt (*Studn. p. 15*), quamquam nihilominus eam per Phoenices in Graecia notam fieri concedo potuisse.

Quare ne id quidem verisimile est Graecos tunicam a Phoenicibus recepisse, quia iam homerica aetate χιτών inter necessaria vestimenta Graecorum Asiae minoris numeratur. Itaque nihil restat nisi ut a veteribus incolis

Asiae minoris, quos antiquiore aetate eam gestasse supra vidimus, illam in Graeciam pervenisse putemus. Nam in monumentis artis Mycenaeae quae vocatur, brevis tunica, quod sciam, non invenitur, ita ut eam Graecis in Graecia innotuisse contendere adhuc non liceat.

Quaerentibus autem nobis, unde asiaticae gentes tunicam sumpserint, ad veteres Chaldaeos et Assyrios confugiendum est. Nam sive veteres incolae Asiae minoris Chetitae sunt (*sic Ramsay, E. Meyer, Perrot-Chipiez, alii*), sive e genere Babyloniorum quodam nati (*Hirschfeld*), tamen artem eorum et mores cum babylonicis arcte connexa esse omnes concedunt. Quare inde etiam tunicae originem petendam esse verisimile est. Re vera multo prius quam anaglypha illa in rupibus ad vicos Ibriz, Oeyuk, Boghaz-koeï sitis insculperentur, tunicam brevem a Babyloniis gestatam esse videmus. Cuius rei exempla iam supra attuli anaglypha fictilia Larsae reperta (*Loftus l. l.*) et ante annum bis millesimum confecta. Dixerit igitur quispiam hic esse originem et vestis et vocabuli χιτών. Et coniecit Studniczka (*p. 16, adn. 41*), si quid vellet, bene intellexi, vocem esse posse sumero-accadicam. Quod concedi non potest. Nam quantum e monumentis babylonicis hodie colligere licet, magnae illae statuae aetatis Gûdeae in collibus, qui Tell-Loh vocantur, repertae (*Sarzec-Heuzey, découvertes en Chaldée, pl. 7—11, 16—20; Perr.-Chip. II, p. 586 sqq.*)[5] antiquiores sunt anaglyphis Larsianis, antiquissimae fere praeter anaglypha quaedam fictilia (*Sarzec-Heuzey, pl. 3*) et a Sumeris aut Accadis confectae videntur, antequam Chaldaei invaderent rerum-

---

5) cf. etiam Hommel, semit. Völker u. Sprachen, p. 217 sqq.; Studniczka, Beitr. p. 84.

que poterentur. Atqui statuae illae solo pallio oblique circumiecto vestitae sunt. Tunica desideratur. Ergo posteriore demum aetate importata est et vocabulum *χιτών* linguae sumero-accadicae esse non potest.

Cum vero etiam a semiticis linguis alienum videatur, undique obsidemur nescii, quo sit confugiendum. Tempora futura docebunt. Utut res se habet, hoc pro certo affirmari potest: tunicam brevem a Babyloniis et ad Phoenices, Iudaeos, Aegyptios et ad veteres Asiae minoris incolas, inde ad Graecos ipsos pervenisse.

Longam tunicam linteam multo posterius Graecis innotuisse supra si non demonstravi, at tamen verisimile esse ostendi. Sed unde ad Graecos venit? Invenitur enim apud easdem fere gentes, quae etiam brevi tunica utebantur: interdum apud Aegyptios (*cf. Ramsis II statuam, E. Meyer, Gesch. Aegypt. ad p. 296*), saepissime apud Chaldaeos et Assyrios (*Perr.-Chip. II, fig. 27, 152, pl. XIV; Weiss, l. l. p. 195*), quos etiam Herodotus (*I, 195*) linteis tunicis longis, supra quas alteram laneam et album chlanidium induerent, usos esse testis est[6]). Num Asiae minoris quoque ex incolis viri ac non eunuchi soli et mulieres illud indumentum gestarint, dubium videtur. Certe longa et manicata vestis invenitur (*Hirschfeld, l. l. p. 18; Perr.-Chip. III, fig. 321, 328, 333, 334; Ramsay, Mitteil. d. athen. Inst. XIV, 1889, p. 188*) et exspectari potuit. Nam longa tunica utebantur prius incolis Asiae minoris, quam-

---

6) Sic etiam Ctesias apud Athen. XII, 529 a: Arbaces . . . *εἶδεν αὐτὸν (sc. Σαρδανάπαλλον) γυναικείαν στολὴν ἔχοντα καὶ κατεξυρημένον τὸν πώγωνα.* Et p. 530 d: *Ἄνναρον τὸν βασιλέως ὕπαρχον καὶ τῆς Βαβυλωνίας δυναστεύσαντα στολῇ χρῆσθαι γυναικείᾳ καὶ κόσμῳ.*

diu Syriam septentrionalem et Asiam minorem regebant, Chetitae, qui ab Aegyptiis Khiti vocabantur. Atque etiam in pugna ipsa, ut in tabula illa picta Thebana, qua cum Aegyptiis confligentes ostenduntur, longa tunica non cincta induti sunt (*Ed. Meyer, Gesch. Aeg. ad p. 290*; *Wilkinson-Birch, manners et costums of the ancient Egyptians. I, p. 259*). Et rex ipse Chetasir in eadem veste Ramsen II circa annum 1280 salutans fingitur (*Ed. Meyer, l. l. p. 291*). Cum igitur Chetitas totam fere Asiam minorem in dicionem suam redegisse verisimile sit, quamquam Hirschfeldius l. l. contra disputavit, etiam vestitus eorum ab incolis veteribus fortasse receptus est, si non a gentibus euphraticis ipsis.

Phoenices quoque ea tunica vestitos fuisse supra vidimus. (*Exempla cf. Perr.-Chip. III, fig. 232, 349, 353.*) Quae quam diu retenta sit a Carthaginiensibus, e Plauto apparet. Nam in Poenulo Milphio interrogat de Hannone (*v. 975*):

Sed quae illaec avis est, quae huc quom tunicis advenit?
Numnam in balineis circumductust pallio?

et v. 1008 alloquitur eundem:

Tu qui zonam non habes,
Quid in hanc venistis urbem? . . .

Similiter v. 1298 Antamoenides Hannonem conspiciens

'Quis hic', inquit, 'homost quom tunicis longis quasi puer cauponius?' [7])

Non dubium est, quin ei loci et alii [8]) ad eandem tunicam longam spectent.

---

7) Caupones autem ἀνεζωσμένοι erant. Cf. Dio Chrys. or. 72, p. 382 R. II.

8) Dico Athen. XII, 523b, ubi et Iberes et Massi-

Cum igitur χιτὼν ποδήρης a viris graecis circa annum 700 aut postea receptus videatur fuisse, ab Aegyptiis aut Chetitis eum in Graeciam pervenisse non verisimile est. Nam illi circa annum 650 demum Graecis permiserunt, ut in Aegypto coloniam conderent, qua re prima Graecia cum Aegypto arctius connectebatur; praeterea longa tunica ab Aegyptiorum vestitu semper aliena quodam modo videtur mansisse. Horum autem — Chetitarum — imperium magnum magis magisque diminutum erat; Assyrii per multos annos bello eos persecuti anno 717 denique totius regni finem posuerunt (*E. Meyer*, *Gesch. d. Alt. p. 457*). Sed ne a Phoenicibus quidem vestem ad Graecos transisse tibi persuadeas. Nam homerica aetate in Asia minore nihil iam valebant; non incolae vel coloni Asiae et Graeciae, qui fortasse olim fuerunt, sed mercatores per orbem terrarum pervagati inducuntur (*Pietschmann*, *Phoenisier, p. 279 sqq.*). A tali autem gente, insuper plerumque contempta, Graecos adductos esse ad novum et gravissimum morem sese vestiendi sequendum vix credideris[9]). Quare maxime consentaneum est existimare ab Assyriis novam vestem, ut ad Phoenices et Aegyptios, ita in oram maris Aegaei asiaticam, inde in Graeciam ipsam esse transgressam. Nam postquam Tiglat-Pilesar, Sargon, alii reges eorum octavo saeculo Syriam, Cyprum, postea etiam Ciliciam sub potestatem suam redegerunt, postquam Graeci in Cilicia cum Assyriis bellum gesserunt (*E. Meyer*, *Gesch.*

---

liotae longa tunica dicuntur usi esse, quam a Phoenicibus eos recepisse conicere malim, quam a Graecis.

9) Quod Herodoti verbis (*V, 88*) confirmari, qui longam tunicam linteam non aegyptiacam aut phoeniciam, sed caricam appellat, contendere non audeo, quia eo loco de mulierum vestitu solo agitur.

d. Alt. § 386), postquam Sardanapallus, ut gloriatur, Lydos, qui auxilia contra Cimmerios a se petiissent, postea cum descivissent, subegit (*E. Meyer, § 454; Duncker I, 467*) — Asiam minorem et Assyriam domi militiaeque, bellis foederibusque tam arcte coniunctas fuisse conicere possumus, ut etiam mores eorum inter se confluxisse verisimile sit. Lydos autem ipsos longam tunicam gestare coepisse fortasse e Xenophanis fragmento supra allato concludi potest. Quod monumentis lydiis demonstrari non posse, quia non sunt, valde dolendum est.

II.

Quid differt inter vestitum homericum et atheniensem sexti saeculi ineuntis?

Hoc capite et sequentibus de Atheniensium tantum vestitu agam. Antequam autem ad eam aetatem transeam, qua Athenis tunica lintea a mulieribus quoque recepta est, de antiquiore vestitu attico quaedam quasi praefari necessarium est, quia in libris, quae ad res cotidianas spectant (*Iwan Müller, Griech. Privataltert., Nördlingen 1887; Hermann-Blümner, Griech. Privataltert.* [3] *Stuttgart-Tübingen 1882*), ubique vetus vestitus incolarum Graeciae et orae asiaticae circa annum 600 idem fuisse putari videtur. Nam homericum sequuntur statim ea vestimenta, quae in monumentis graecis sexti saeculi medii et exeuntis reperiuntur. At non minus ad priora cum alia tum vas Françoisium (*Wien. Vorlegebl. Ser. 1888, Tf. 2—4*) respiciendum est.

Longam igitur tunicam apud Homerum non inveniri, sed primum in vasis et statuis archaicis verisimile esse supra exposui. χλαῖνα et φᾶρος duabus illis vestibus, quibus in vase Françoisio Apollo et Priamus in ea scena,

qua Troilus fugiens Achillem inducitur, induti ficti sunt, significari videntur. Animadvertendum autem est nusquam laenam fibulatam inveniri. Brevis tunica usitata est, at non lintea, ut apud Homerum. Quamquam enim tam saepe in vasis archaicis longa tunica albo colore tincta cernitur, idem in brevibus perraro fieri videmus (*e gr. mus. Berol. no. 1688, 1837, 1797, 1713, 1900*). Quod non ita grave esse ad demonstrandum, quia color albus vitae cotidianae non conveniat, concedo. Ne coloribus quidem variis ornatae tunicae certam causam praebent. Nam ut sententia illa Semperi [10]) saepe repetita vera est, ita haud multum valet ad materiem cognoscendam. Nostra quidem aetate linum quovis colore tingitur, quamquam varietates colorum lanearum vestium, quas 'Nüancen' vocamus, plures sunt, quam lintearum. Etiam figuris quadratis linteae ornantur, animalium autem nunquam. Itaque etsi Plinius (*h. n. XIX, 22*) 'temptatum est', inquit, 'tingui linum quoque, ut vestium insaniam acciperet', tamen illis antiquis temporibus fieri potuisse, ut linum variis coloribus tingeretur, concedendum est. Ceterum linum purpureum saepissime commemoratur. Et videmus non solum in statuis nuper in arce Atheniensi repertis linteas tunicas tinctas, sed etiam in multis vasis varie ornatas (*cf. Lenormant et de Witte, Élite céram. II, 25; III, 9, 67, 68; Benndorf, gr.-sic. V. B. I = Bm. fig. 217*). Certa autem causa, qua nisus breves tunicas antiquorum vasorum laneas fuisse coniciam, a rugis petenda est, quibus laneae carent, linteae ornatae

10) Stil. I, p. 122: Das Charakteristische derselben (*sc. der Flachsfasern*) ist . . . ihre . . . geringe Affinität zu den meisten Färbemitteln . . .

sunt. Ut Execias aliam ab alia accurate distinguit (*Gerhard, A. V. B. Tf. 206, ubi Achilles liniea, Penthesilea lanea vestita est*). Cum igitur pristinis temporibus tunicae multo crebrius tenuibus rugis careant, Athenienses aetate posthomerica tunicam brevem laneam videntur praetulisse linteae, dum lino a mulieribus quoque recepto viri adducti fortasse sunt, ut linteas plerumque tunicas breves conficiendas curarent. Nam Euphronii aetate lanea frustra fere quaeritur.

Sed omnino non ita pervulgata fuisse priore dimidio saeculi sexti tunica videtur. Nam cum apud Homerum adulescentes, qui in clupeo Achilleo chorum agunt, linteis tunicis solis induti sint, cum Telemachus semper tunicam gestet, in vase Françoisio adulescentes laena sola vestiti saltant, Apollo laena contentus est. Qua in re fortasse admonendum est de vasis ad Dipylon repertis, quorum aetate homines etiam minus corpora velare videntur studuisse. Sed altera parte etiam longa tunica adulescentes interdum vestitos fuisse apparet ex aliis vasis, ubi Neoptolemum, Triptolemum, Alexandrum alios sic vestitos reperimus (*Heydemann, griech. Vasenb., Tf. 6, 4; Wien. Vorlegebl. Ser. A, Tf. 5; Él. cér. III, 50, 52*).

Veniamus ad vestitum muliebrem. Peplum homericum et vestem muliebrem, quam in vase Françoisio reperimus, eandem esse prorsus Studniczkae assentior. Sed utique illa aetate talem fuisse vestem muliebrem nego. Quamquam Boehlauo (*quaest. p. 30*) et Bluemnero (*Baumeisters Denkm. p. 785*) pro apoptygmate etiam 'superulam' quandam inveniri concedere non possum. 'Coloris et ornamentorum diversitate' nihil probatur. Cur non aliter texi potuit ac reliqua vestis? Nam apoptygma illa aetate semper per se stans, ut ita dicam, sentiri conicere

possumus e vestibus mulierum vasis Françoisii aliisque, ubi et supra et infra maeandris a reliqua veste seiunctum est. Aut si alio modo ornatum est ac vestis, fortasse pictoris studio variandi tribuendum est. Omnino autem ineptissima esset vestis: duae laciniae in humeris fibulis consertae![11]) Quid sibi voluit? Neque postea apud Athenienses neque apud ullum populum antiquorum aut nostrorum temporum reperitur. — Sed vestes muliebres vasis Françoisii non semper fibulatae sunt. Iam Boehlau (*l. l. p. 27*) Dianae, quae dicitur asiatica, exemplo usus est. Addere potuit Calliopen eiusdem vasis, Minervam Panathenaici, quod vocatur Burgonium (*Müller-Wieseler, Denkm. d. a. K. I, 17, 91 a*), alia. Ubi etsi apoptygma invenitur, tamen fibulae videntur deesse et manicae breves vesti esse adiunctae. Qua re non tam tunicam ionicam invadentem significari puto, quam imitationem virorum tunicae.

Gravissime vero peplus sexti saeculi ab homerico eo differt, quod consutus est circa crura usque ad pectus; ergo non circumicitur (*cf. Studn. p. 95*), sed induitur.

Vestem superiorem apud Homerum unam esse, quae aut *καλύπτρη* aut *κάλυμμα* aut *κρήδεμνον*, etiam posteriore aetate, vocetur, Studniczkae concedendum est. In antiquis autem vasis atticis d u o vestimenta superiora inveniuntur: parvum (*e. c. Ariadne paterae Marathoniae, Athen. Mitteil. VII, 1882, Tf. 3; Thetis inter Apollinem et Achillem in vase Franç.*) et magnum (*cf. deas ad nuptias Pelei venientes in vase Franç.*). Illud, quod *χλανίς*

11) Ne Minervae figura quidem, quam Boehlau ipsam apposuit (*fig. 5*), quidquam probatur. Ceterum fibula in humero eius accurate picta est.

vocari potest, cum laena virorum, hoc, quod etiam de capite deicitur (*cf. Thetidem nuptam, Doridem vasis Franç.; Minervam paterae aegineticae Arch. Zeit. 1882, Tf. 9*) cum pallio eorum et credemno homerico prope congruere videtur.

Quae cum ita sint, vestitum atticum veterem ab homerico compluribus rebus differre apparet, quas sic fere complecti possumus: linum nondum tam usitatum est, quam apud Homerum. Etiamsi enim longa tunica lintea gestatur a viris, brevis lanea est. Apud mulieres autem *φᾶρος* homericum et *ὀθόναι* (*Studn. p. 119*) ad id tempus desiderantur, sed vestium superiorum maior varietas cernitur.

III.

De lintea tunica muliebri[12]).

Circa annum 570 etiam a mulieribus Atheniensibus linteam tunicam adoptatam esse ex Herodoti libri V cap. 80 sqq. sequitur[13]) (*Studn. p. 1 sqq.; Boehlau p. 25 sqq*). Quacum re congruit, quod Solon mulieres plus tres vestes in via gestare vetuit (*Plut. Sol. c. 21, 5*). Luxuria enim vestitus significatur; quatuor vestes vel plus aliquando gestatae erant. Quod dum peplo utebantur, vix fieri potuit. Boehlauo autem contra Studniczkam assentior expeditionem aegineticam et mutationem vestium ab aliquo 'aetiologice' esse iunctam. Studniczka enim propter maerorem a magistratibus mulieres splendidis fibulis uti vetitas esse putat. At primum a mulieribus pretiosas fibulas tanti aestimatas esse mirum est, ut nova veste uti quam aeneas fibulas gestare mallent. Nam in via, qua

12) Valde doleo, quod Studniczkae commentationem de Minerva Pompeiana (*Mitteil. d. arch. Inst. zu Rom, 1888, p. 277*) serius inveni, quam ut ea uti possem.

13) Idem Duris enarrat (*Schol. Eur. Hec. 934*) Herodotum imitatus.

sola aureis fibulis gloriari atque splendere potuissent, super peplo semper pallium aut palliolum gestabant, quo ornamentum splendidum obtegebatur [14]). Deinde monumenta repugnant, in quibus doricam vestem, ut est, super ionicam indutam et fibulis consertam reperimus (*Kavvadias, les musées d'Athènes, pl. 10; Sosandra Calamidis Roscher's mythol. Lex. p. 412; Studn. l. l. fig. 22, p. 78*). Fuit igitur bellum aegineticum, fuit eisdem fere temporibus mutatio vestitus muliebris: fama duae res coniunctae sunt.

Sed varias formas, quae novae tunicae sunt, quomodo intellegis? Numquam iterum abicitur, ut virorum, sed per omnia tempora apud Graecos et Romanos saepe mutata remanet. Itaque alio saeculo ad aliud cognoscendum uti licet. Tota autem quaestio, quantum quidem spectet ad saeculum sextum, vertitur in hac re: quomodo rugae undulatae sint explicandae.

Loeschkius (*Athen. Mitteil. 1879, p. 40*), Langius (*Arch. Zeit. 1882, p. 27*), multique alii vestem illas rugas praebentem e lana mollissima factam existimant, Studniczka (*Athen. Mitteil. 1886, p. 354; Beitr. p. 64*) semper linteam putat: „στρεπτός“, inquit, „ist . . . auf eine besonders starke Torsion des Fadens zu beziehen, die eine wellige Kräuselung des Stoffes zur Folge hat. Auch diese werden wir in der ionischen Linnentracht späterer Zeit wiederfinden.“ Similiter Holwerda (*Jahrbuch 1889, IV, 1, p. 39*). Boehlau ‘chitoniscum’ (*cf. fig. 12, p. 35*), quem invenisse sibi videtur, rugas undulatas exhibentem laneum,

14) cf. monumenta et Eur. Hec. 934: μονόπεπλος Δωρὶς ὣς κόρα; Iuv. III, 95 comoedus agit uxorem vel Dorida nullo palliolo cultam.

sed Peleum (*fig. 10, p. 35*), in cuius veste easdem lineas invenimus, lintea tunica indutum esse existimat.

Loeschkii aliorumque sententia nihil valere potest contra Herodotum, cuius verba secuti linteam tunicam exspectamus. Praeterea postea, cum lineolae undulatae non iam reperiuntur, dico in vasis monumentisque Phidiae aetatis et posterioribus, et ubique eodem loco eadem forma eadem materie tunicas cerni et pro linteis habendas esse nemo est qui neget. Studniczka igitur illas rugas non ratione vestis circumiciendae et plicatura effectas, sed in materie ipsa inesse putat. Cui concedo eas inesse posse, sed tum solum, cum inter rudiora lina tenuiora ita intexantur, ut forma undarum in materie efficiatur, sed superficies aspera non fiat. Sic vidi. Sed ita tunicas graecas non intellegendas esse inde apparet, quod superficies earum ipsa a statuariis plerumque aspera et undulata fingitur. Praeterea lineolae illae saepius non per totam vestem permanant, sed per partem eius aliquam (*vide infra 4*), cum reliqua vestis rectas rugas efficiat, quod, si causa undarum formae a materie esset petenda, a natura abhorreret. Quid autem Studniczkae verba, quae supra attuli, sibi velint, non intellego neque talem materiem aut in museis ethnologicis aliisque aut apud mercatores inveni. — Boehlau sibi ipse repugnat. Nam hoc ante omnia primum statuendum puto: omnes lineolas undulatas uno eodemque modo esse explicandas.

Invenimus igitur illas rugas

1) in linteis virorum tunicis longis: apud Peleum, Heydemann, griech. Vasenb. Tf. VI, 4 (= *Boehlau, fig. 10*); Bacchum, Mitteil. v. Athen 1882, Tf. 3; aurigam, Gerh. A. V. B. 249/50, Jahrb. 1889, Tf. 10;

2) in brevibus adulescentium tunicis: cf. vas Duridis

Wiener Vorlegebl. Ser. VII, 1; Euphronii Gerh. A. V. B. 224/25; Wien. Vorl. Ser. D, tv. VIII, 1;

3) in mulierum linteis tunicis longis,

a) perpaucas: Gerh. A. V. B. 102; 125; 246, 2; 251; Benndorf, l. l. 3a.

b) per totam vestem sparsas: Ephemeris 1884, Tf. VIII, 5—7; Athen. Mitteil. 1886, Tf. IX, 2; Brunn-Bruckm. no. 61 = Overb. Plast.[3] fig. 35;

4) in mulierum peplis, quos Studniczka „ionisierend“ appellavit et propter graves plicas esse laneos eidem viro docto assentior: Kavvadias, mus. d'Athènes, pl. 3, 6—8, 11, 14; Ephem. 1886, tv. 5, 9; 1884, tv. VIII, 5—7; Brunn-Bruckmann no. 22;

5) in aliis partibus vestitus muliebris aut in pectore: Gerh. A. V. B. 168 (= *Boehlau, fig. 12*), Élite cér. II, 65 (= *Boehlau, fig. 13*), Kavvadias l. l. pl. 5; Brunn-Bruckmann no. 61 (= *Overb. Plastik*[3]*, fig. 35; dico puellam post Mercurium stantem*); aut circa coxas: Wiener Vorlegebl. Ser. A, II (= *Boehlau, fig. 14*), ib. Ser. VIII, 4 (= *Boehlau, fig. 16*); Ephem. 1886, *πιν*. 9; Wiener Vorl. Bl. Ser. D, VIII, 1.

Imprimis igitur hoc confitendum: lineas undulatas sine dubio etiam in laneis vestibus inveniri (*vide exempla sub 4*), non vero per totam vestem sparsas, sed quodam loco: in manica illa, qua peplus munitur. A singulis enim fibulis tendunt quaternae lineolae undulatae, quae in pectore dextro plerumque plures fiunt, deinde in rectas plicas graves se dissolvunt. Idem fit in posteriore parte (*Ephem. 1886, πιν. 5; 1884, πιν. 8, 6*). Circa mammas autem solum et in margine sinus (*v. i.*) in vasis cuiusdam vestibus muliebribus inveniuntur (*Gerh. griech. u. etr. Trinksch. 14/15*). Qua re quid artifex significare

voluit? Nihil nisi tenuissimas plicas, quae his locis valde cumulantur et illis gravibus multo tenuiores sunt. Quae sententia eis exemplis (*sub 3 a*) adiuvatur, ubi simplices plicas obliquas circa pectus aut crura lineis undulatis expressas vides. Ergo rugae non materiei sunt, sed vestis. Cur enim, si intextae essent, non per totam vestem continuantur?

Item in linteis virorum tunicis rem sese habere puto, sive sunt magis, sive minus rugatae. Confer exempla sub 1 allata.

Sed multo graviora conicere possumus. Cum enim in laneis vestibus plicas rectas et undulatas coniungi viderimus, idem in linteis exspectare possumus. Et fit. Nam a muliebri figura in Ephem. tabula VIII, 7 repraesentata, quae longam tunicam et simplex pallium gestat, tunicam laeva manu sublatam videmus; plicae autem, quas manu tenet, in anteriore parte rectae sunt. Itaque etiam hic undulatae lineae in rectas mutantur. Idem fit in veste similis figurae (*Mitteil. d. athen. Inst. 1886, Tf. IX, 2*) [15]) et mulieris adorantis anaglyphi cuiusdam (*Brunn-Bruckmann no. 17 b = Schöne, Reliefs no. 122*), ubi plicae manicarum undulatae, reliquae eiusdem vestis rectae sunt.

Neque aliter 'chitonisci' illi, quos Boehlau invenisse sibi videtur, explicandi sunt. Primum consideres, quaeso, mulierem adorantem, quae in anaglypho supra commemo-

15) Similiter saepius in lintea veste circa et inter crura in anteriore parte rectae, in posteriore tenuissimae obliquae, interdum rubro colore pictae reperiuntur (*Klein, Euphronios* [2], *p. 280; Benndorf, griech. siz. Vas. Tf. 31, 2 b; Bm. fig. 928, p. 847*). Tamen unam et eandem esse vestem nemo est quin concedat.

rato (*Ephem. 1886, πιν. 9 = Brunn-Bruckmann no. 17a*) Minervae appropinquat. Vestita est longa tunica et pallio a tergo supra ambos humeros iacto, ut est mos antiquus, quem in toto vase Françoisiano reperimus. In medii autem corporis antica parte complures lineas undulatas a coxis fere usque ad genua defluentes animadvertes. Est nihil aliud nisi Boehlaui chitoniscus, quem reperis in figura eius 14. Primo autem obtutu unusquisque non vestem singularem, sed κόλπον esse, a tunica deplicatum confitebitur. Quomodo enim Boehlau inferiorem lineam rotundam, quam in fig. 14 reperimus, explicat? Qui fit, ut ‘chitoniscus’ ille tam longe a tunica distet? Si simplex vestis est, quae induitur, ad tunicam se applicare eam necesse est. Sed redeamus ad anaglyphum illud. Quomodo explices, quod lineae undulatae a coxis incipientes non lineas corporis, ut reliquae vestium plicae, sequuntur, sed paulum a corpore digrediuntur, dein supra genua fere recedunt? Confer etiam Euphronii figuras, ut scortum, quae zonam sub chitonisco illo solvit (*Klein, Euphr. p. 98*) et paterae Eurystheae (*ib. p. 89*) Calliphoeben. Cuius in tergo ‘chitoniscus’ cur tam sinuatus est, cur tam longe a corpore distat? Est κόλπος. Nihil aliud esse potest. Lineolis autem undulatis artifex usus est, ut etiam hic tenuitatem et cumulationem plicarum imitaretur. Itaque vestes omnes Maenadum, quas Hiero pinxit (*Boehlau, fig. 14, 15*) et aliarum mulierum (*fig. 16—18, 20*) eodem modo explicandae sunt: circa coxas cinctae sunt, dein super singulum magnus sinus usque ad genua deiectus est. Quae sententia etiam eo niti potest, quod nunquam fere mulieres Athenienses supra tunicas longas breviores tuniculas gestaverunt. Nam ex perpaucis exemplis, quae quarto saeculo ex lecythis colligere pos-

sumus (*Benndorf, l. l. tv. 14, 25, 33; Boehlau, fig. 31*), concludere non licet in universum: semper tales tuniculas fuisse gestatas [16]). Quare ne vesticulam quidem illam, quae tam saepe cum tunica sinuata coniungitur, per se stare persuadere mihi possum. Esset iterum ineptissima vestis: tam parva et vix ad corpus muniendum apta et — quaternis vel pluribus fibulis in utroque humero connexa! Haud minus inepta, quam vesticula simillima, quam in dorico peplo quidam inveniri putant. Apoptygma est. Una igitur tota vestis est: longa tunica lintea et apoptygmate sinuque more dorico aucta et manicis instructa.

Inde sequitur etiam eas vestes, in quibus apoptygma deest (*Boehlau, fig. 12, 13*), aliter explicandas esse ac Boehlau voluit. In fig. 12 (*similiter Furtwaengler, Samml. Sabouroff, I, 54, 1; mulier post Mercurium stans in anaglypho nympharum Overb.³ fig. 35 = Brunn-Bruckm. no. 61*) primo aspectu unusquisque ‘chitoniscum’ nihil aliud nisi superiorem partem tunicae sinuatae esse fateretur, nisi lineolae undulatae essent. Quibus tenuiores et densiores rugas significari cum coniecerimus, nihil obstat, quominus etiam hanc vestem unam esse existimemus. Et re vera mira esset vestis tunicula circa totum fere corpus ad ipsum cingulum tendens, in anteriore autem parte ad media fere crura, ita ut rotunda linea oriatur. Praeterea si est chitoniscus, ubi linea est in tergo et in coxa, qua circumscribitur? Deest. Accedit, quod rectis lineis, quae inter crura cernuntur, et margine inferiore vestis ibidem attracto ostenditur sinum esse effectum. Sed ubi est, si is, quem videmus, pars chitonisci existimanda est? Non aeque dilucida res est in figura 13, attamen non alia.

16) De inscriptionibus (*Boehlau p. 20 sqq.*) infra.

Hic etiam in cruribus undulatas lineas adhibitas esse vides, ut in archaicis vasis, quae nigras figuras exhibent (*v. s. sub 3 a*). Etiam eius mulieris, quae vocari solet Spes (*Kavvadias, musées pl. 5*), et in currum ascendentis (*Friedr.-Wolt. Bausteine no. 87*) et dearum in vase Sosiae fictarum (*Berol. 2278; Gerh., griech. u. etr. Trinksch. VI/VII; Ant. Denkm. I, 9*) vestes inter eas, quas explicuimus, numerandae sunt. Nullam aliam esse puto nisi unam tunicam ionicam sinuatam, non duas vestes, quas Boehlau Kavvadias Furtwaenglerus (*Kat. d. Berl. Vasensamml. p. 552 „Wollewams“*) animadvertere sibi videntur[17]). De ea quoque re valde dubito, num semper peplus ille, qui plerumque supra tunicam gestatur, duplex sit, ac non saepe ea vestis, quae sub 'apoptygmate', et tunica, quae in collo et pectore cernitur, eadem sit, ita ut etiam hic rugae undulatae in rectas sese dissolvant.

Restant 'chitonisci' illi 'lanei', quibus adulescentes supra linteum indutos esse Boehlau (*p. 68, adn. 2*) vult. (*Exempla v. sub 2.*) Ex eis quae exposui, elucet etiam hic unam vestem esse cognoscendam: brevem linteam tunicam, quae aut apoptygmate augetur aut sinu. Si sinuatur, usque ad cingulum vel quoad sinus extendit, plicae sunt undulatae; rectae, si apoptygma adhibetur. Cuius rei optimum exemplum est Duridis vas supra commemoratum (*Wiener Vorlegebl. Ser. VII, 1*). Quae vero mira res oriatur, si duas tunicas esse putes, tibi fingas. Primum nusquam scriptum videmus milites duabus tunicis indui. Et nonne nimis sudassent sub lorica? Apud

17) Quare intellegere possumus, cur pictor in eis exemplis, quae in adn. 15 attuli, et posteriori parti inferioris vestis et ei, qua pectus tegitur, aut manicis easdem rugas tribuit.

Homerum heroes unam sub lorica gestare notum est. Unam Alexander et eam Siculam induit, supra quam loricam gestat (*Plut. Alex. 32*). Neque in ullo alio graecae artis opere vestigia duarum tunicarum invenies. Sed etiam maiores natu personas, deos, item vestitos esse ostendunt. Quos et longa tunica lintea et brevi lanea et laneo pallio putasne esse indutos? Per totam artem graecam singulare esset exemplum. Quo Boehlau, si sibi constat, pervenire debeat, exemplo Amazonae cuiusdam (*Benndorf, l. l. Tf. 46, 2*) doceri potest, quae brevem tunicam sinu undulato et apoptygmate instructam gestat. Boehlau tres esse vestes, quibus tantum superior pars corporis tegitur, vix ipse contendet. — Quod denique saepius rugae et undulatae et rectae desunt, eo non crassiorem materiem significari, ut Boehlau (*p. 37*) vult, sed aut eas rubro colore, postquam vas in igne fuit, pictas fuisse et temporum iniquitate deletas esse aut ab initio partem illam vestis non artificiose rugis ornatam fuisse puto, quas in omnibus linteis tunicis reperimus.

Sic fere rugas undulatas explicandas esse existimo. Apparet Graecos eis naturam non esse imitatos. Rugae sunt quas nos dicimus „stilisiert". Quae cum in antiquioribus monumentis non inveniantur et omnino a Graecorum indole abhorreant, ita ut mox evanescant, eas cum tunicis longis ipsis primum Graecis innotuisse puto. Unde? Iam nono saeculo tunica longa eodem modo fingitur in tabula quadam, quam rex quidam Assyriorum dedicavit (*Perr.-Chip. II, fig. 76, p. 209*). Fortasse hodie aut mox plus exemplorum proferri poterunt. Ab asiaticis autem artificibus modus ille rugas fingendi Athenas esse translatus videtur.

Breviter denique comprehendam, quomodo vestimenta Athenis sexto saeculo mutata sint[18]).

Dorica igitur vestis, quam Herodotus omnibus graecis mulieribus communem fuisse memoriae prodidit (*V, 88*), invenitur in vase Françoisiano, apud Gerh., etr. u. kamp. Vasenb. Tf. 20, in vase Archiclis et Glaucytis (*Gerh. A. V. B. 235/36*), in tabula quadam picta (*mus. Berol. 1813; Gaz. archéol. 1888, pl. 31*) [19]) et alibi [20]). Interdum manicis fortasse a tunica virorum mutuatis leviter mutatur. Dein ionicae tunicae circa annum 570 non repente, sed

---

18) cf. Boehlaui quaestionum alterius partis capita I et II, quem compluribus locis Studniczka recte refutavit.

19) Mulier, quae in media pictura cernitur, non est mater mortuae, ut Furtwaenglerus et Collignon coniciunt, sed mortua ipsa, quae posteriore aetate in anaglyphis sepulcralibus, quae tum in sepulcris locum tabularum illarum tenent, tam saepe repraesentata est (*cf. Wolters, Ephem. 1889, p. 181 sqq.; anaglypha Arch. Zeit. 1845, Tf. 34; 1873, Tf. 8; Expéd. de Morée III, Tf. 42, 2; fortasse etiam Leucotheam quae dicitur: Annali 1832, tv. C; Overbeck, Plastik I, p. 175, Friedrichs-Wolters, Bausteine, no. 243.*

20) Boehlau cum Helbigio fortasse iam Studniczkae assentitus est antiquam vestem Graecorum non fuisse scissam. Vestis figurarum 36, 37 (*Boehlaui*) est nihil aliud nisi doricus peplus apoptygmate carens. Tunica vero Dianae quae vocatur persica (*fig. 38*) nihil probatur, quia apud eas tantum figuras inveniri solet, quarum origo ex Asia, sive e semitica, sive e babylonica religione petenda est. Exempla apud Helbig., homer. Epos[1], p. 139. Nam eum limbum, quo bracchium et collum ornata sunt, frustra fere quaeres in atticis aut graecis monumentis. Etiam mira figura aenea cretensis apud Milchhoef., Anfänge p. 169, fig. 65 ad Asiam videtur spectare.

celeriter a mulieribus atticis recipiuntur et cum veteribus indumentis coniunguntur. Peplus aut ut est, supra tunicam induitur, aut cum corpus ea satis munitum sit, brevior fit et mutatur ita, ut altera pars pectoris non operiatur, in altero autem humero peplus conseratur compluribus fibulis. Sic vestis haud ita pulchra oritur, quae per saeculum remanet (*cf. Arch. Zeit. 1882, Tf. 5; Élite cér. IV, 33*). Sed etiam vetus pallium a tergo pari modo utrique humero impositum invenitur. Postquam sic diu variis modis mulieres novam tunicam cum veteribus vestibus coniungere conatae sunt, unus modus a viris mutuatus praeferri videtur: obliqua *ἀναβολή*, ad quam fibulis opus non erat. Tunica ab initio plerumque sinu parvo augetur. Qui postea circularis fingitur et usque ad genua demittitur; qua re necesse fit magnum spatium inter collum et genua vacuum nova linea persecetur. Itaque apoptygma a dorico peplo mutuatur et is vestitus oritur, qui tres vestes complecti videatur, unam complectatur. Tunicula nusquam ostendi potest.

Apud viros autem tunica lintea, ubi primum a mulieribus adoptata est, initio eadem remanet, deinde vero, cum vasa rubris figuris coepta sint ornari, h. e. altero dimidio sexti saeculi, eisdem modis permutatur, quibus muliebris, sive est longa sive brevis. Nam et sinus et apoptygma ei tribuitur, quamquam non tam uber quam apud mulieres. Inde apparet prorsus non in universum illud dici posse: a viris semper primis mores corporis vestiendi commutatos esse, sed etiam eos mulieres imitatos. Materies quoque brevis tunicae nova consuetudine mulierum commutata videtur; nam lintea multo saepius invenitur, quam lanea; quod ita esse etiam insequentibus saeculis videtur.

Pallii duo genera remanent, quae in Françoisio vase vidimus: longum, quod duplici modo circumici potest. Aut a tergo in utroque humero eodem modo imponitur aut a laevo humero incipiens circa tergum et pectus infra dextrum bracchium trans laevum humerum iterum circumicitur, ita ut circum hunc utraque lacinia haereat (*cf. Boehlau, fig. 23*). Alterum est vetus χλαῖνα (*cf. Apollinem in scena troica vasis Franç.*), non vero a tergo circumiecta, sed in altero humero fibulata [21]). Vocatur autem plerumque χλαμύς. Primum invenitur in Execiae vase (*Gerh. etr. u. kamp. V. B. Tf. D, 4*). Lanea lorica, ut ita dicam, non gestatur. Novum modum pallii circumiciendi iam in statuis in Tell-Loh repertis invenimus (*cf. p. 9*), etiam apud asiaticas gentes in Aegyptum demigrantes in picturis aegyptiacis duodecimae dynastiae vidimus (*Perr.-Chip. I, fig. 98*). In attica autem arte primum Theseus in vase Françoisiano utitur hac ratione, sive ne bracchium fidibus canentis impediatur, sive tibicinis more vestitus est. In cotidiano autem vestitu cernitur novus mos apud Execiam (*Gerh. etr. u. kamp. V. B. Tf. D, 4*) et Archiclem Glaucytemque (*Gerh. A. V. B. 235/36*), postea crebrius. Quem ex Asia venisse verisimile est. Neque enim solum apud Chetitas, quales ad Aegyptios veniebant, invenitur (*Rosellini, monum. stor.*

---

21) Quare illam a Macedonia ad reliquos Graecos pervenisse persuasum habere non possum. Nam πτέρυγες Θετταλικαί (*cf. Hesych., Suidam, Phot., Etym. M. sub hac voce*) nondum reperiuntur, sed ad triangulas duas partes in humeris consertas referendae videntur, ut posteriore aetate re vera gestantur. De hac re fortasse alibi accuratius.

tv. 103 = *Perrot-Chip. IV, fig. 349*), sed etiam in veste mulieris anaglyphi cuiusdam in vico illo Asiae minoris Oeiuk reperti (*Perr.-Chip. IV, fig. 328*).

Vestes maxime usitatas enumeravi; alias raras inveniri non nego. Sed omnia complecti longum est.

IV.

De vocabulis *χιτώνιον, ἡμιδιπλοΐδιον, κροκωτίδιον* similibus.

Varia vestium muliebrium nomina, quibus altero dimidio saeculi quinti Athenienses utebantur, explicaturis nobis in Aristophane imprimis nitendum esse Boehlauo (*cap. I*) assentitus incipio ab Ecclesiazusarum locis, qui ad Blepyrum pallio a Praxagora destitutum et vestem eius sibi induentem spectant (*v. 313 sqq., 328 sqq., 372 sqq., 535 sqq.*).

Quos cum Boehlau accurate examinaverit, brevior esse possum. Idem videtur mihi demonstrasse primum encyclum et vestem, qua circumicit se Blepyrus, non idem esse, deinde hanc pro indumento, non pro pallio habendum. Quod vero Boehlau (*p. 14*) 'superulam' esse illud chitonium contendit, cuius exempla affert Arch. Zeit. 34, 1876, Tf. 11, Benndorf, griech. u. siz. Vasenb. Tf. 27, 3, Mon. d. Inst. X, 54, ei assentiri non possum.

Tria igitur sunt nomina, quae Aristophanes eidem vesti tribuit: *χιτώνιον, κροκωτίδιον, ἡμιδιπλοΐδιον.* Ac primum explicandum, qui fiat, ut uni vesti tot varia no-

mina indi possint. Ex quibus ipsis apparet, quid velint: *χιτώνιον* spectat pro sententia illius aetatis ad rem, quae intercedat inter corpus et vestem; induitur, non circumicitur. *κροκωτίδιον* de flavo colore dictum est. *ἡμιδιπλοΐδιον* ad formam — vernaculo sermone fere „Schnitt" — tendit: non duplex est, sed semi-duplex — liceat hoc vocabulo uti — h. e. „zur Hälfte doppelt gelegt", quo nihil aliud nisi vestis apoptygmate aucta significari potest. Quod causis demonstrari nequit, quia non est aliud vocabulum linguae graecae, quod conferri possit. Sed ex eis quae sequuntur fore ut id rectum esse eluceat, spero. Boehlauum autem neutiquam sequi possum, quia diploidem et diploidion aliter explicare velim (*v. i.*) atque ille (*p. 15*).

De vocibus *κροκωτίδιον* et *ἡμιδιπλοΐδιον* aliis locis nihil docemur. Itaque nihil restat nisi ut de chitonio solo quaeramus. Ac primum ex Aristophane.

In conventu mulierum illo ecclesiazusarum interrogat quaedam (*v. 263*):

ἐκεῖνο δ' οὐ πεφροντίκαμεν, ὅτῳ τρόπῳ
τὰς χεῖρας αἴρειν μνημονεύσομεν τότε . . .

Cui respondet Praxagora:

χαλεπὸν τὸ πρᾶγμ'. ὅμως δὲ χειροτονητέον
ἐξωμισάσαις τὸν ἕτερον βραχίονα . . . .
ἄγε νῦν ἀναστέλλεσθ' ἄνω τὰ χιτώνια.

Inde apparet chitonium unicam esse vestem mulierum; nam Praxagora de nulla alia verba facit. Atqui illa, quam Boehlau vult, nunquam sola invenitur, quia tantum ad genua fere tendit, sed semper supra tunicam longam. Neque illam mulieribus adstringere opus erat, quia pallio bene obtecta esset, sed has ipsas tunicas longas, quae cum ad pedes dependerent, statim viris

ostendissent, a quibus gestarentur. Nam viri eis carebant. Itaque chitonion hic est vestis usque ad pedes defluens. Ad eam quoque spectat illud ἐξωμισάσαις h. e. 'postquam bracchium et humerum alterum tunicae manica ita nudastis, ut ἐξωμίς fiat'. Nam lintea manicata chitonia esse ex eo coniciam, quod doricam laneam vestem alte ἀναστέλλεσθαι difficilius fuisset. Cur hoc omnino faciendum fuerit, de hac re infra.

In Ran. v. 409 scriptum videmus: .. μειρακίσκης .. χιτωνίου παραρραγέντος τιτθίον προκύψαν. Hoc tum solum fieri potuisse, cum chitonion infima vestis esset, etiam Boehlau concedet.

In v. 149 sqq. Lysistratae haec ipsa, si

τοῖς χιτωνίοισι τοῖς ἀμοργίνοις
γυμναί

praeterirent neque se viris dederent, eos pacturos esse putat. Haud scio an Aristophanes mulieres nudas appellaturus non fuerit, si et tunica longa et veste illa Boehlauiana eas indutas sibi finxisset. Ne brevem quidem tuniculam id fuisse posse apparet.

Atque si Athenaeus XIII, p. 590 f: διόπερ, inquit, οὐδὲ ῥᾴδιον ἦν αὐτὴν (*sc. Phrynen*) ἰδεῖν γυμνήν· ἐχέσαρκον γὰρ χιτώνιον ἠμπείχετο, id corpori ipsi, non alii vesti impositum fuisse elucet. Praeterea vox ἑπτάπηχυ in Plat. Epist. XIII, p. 363 A appellatur chitonium, id quod magis aptum est tunicae longae, quam breviori illi.

Addere possum multos locos, ubi chitonium semper vestis maxime necessaria videtur. Quod de illa brevi veste (*Boehlau p. 14*) dici non potest. Praeterea tam saepe apud veteres commemoratur, ut illam vestem, quae rarius invenitur, eandem esse vix nobis persuadere possimus.

Quibus ex rebus apparet chitonium esse vestem muliebrem et infimam et ad pedes usque tendentem. Propterea chiton muliebris et chitonion inter se non differunt; hoc est vox non diminutiva, sed blanda, qua initio aliquid teneri, aliquid tenue significatur, dein saepius non aliud quam voce simplici. Confer θηρίον, ἱστίον, ὅρκια (*Kühner, griech. Grammat. § 330, 3 et adn. 4*). Eadem res intercedit inter ζώνη et ζώνιον, κροκωτός et κροκώτιον et κροκωτίδιον [22]). Nam cum chitonium et crocotidium idem sit, etiam hoc usque ad pedes defluens cogitandum est. Idem de hemidiploidio valet, quod aliud esse atque hemidiploidem, quae vox nusquam usurpari videtur, contendere non possumus.

Haec confirmantur aliis locis. Ubi enim Mnesilochus muliebrem vestitum induit (*Thesmoph. 253*), primum crocotum capit — est ἱμάτιον, quod vocabulum in universum hic dictum est, Agathonis (*cf. v. 250, 138*) — deinde encyclum. Hae sunt vestes, quibus muliebris vestitus componitur et Mnesilocho opus erat mulieres imitaturo [23]). Itaque etiam hic crocotum esse longam tunicam nemo negabit.

Proverbium est apud veteres: γαλῇ χιτών. Felis quaedam a Venere mulier facta et tunica induta murem persequitur. Fabula similis est ei, qua asinus pelle leonis circumiecta imitari vocem eius conari, sed nequire narratur: natura et indoles dissimulari non potest. Complures igitur scriptores de illo proverbio verba faciunt. Ut Zenobius II, 93: Γαλῇ, inquit, χιτώνιον· ὁμοία ἡ παρ-

---

22) Aliter Boehlau p. 9, adn. 2: crocotum esse tunicam talarem clausam, crocotidium breviorem clausam statuit.

23) Accuratius de ea re egit Boehlau p. 9, adn. 2.

οιμία αὕτη τῇ ‘οὐ γαλῇ πρέπει κροκωτόν’. Suidas: *Γαλῇ χιτών . . . ὁμοία ἐστὶ τῇ· οὐ πρέπει γαλῇ κροκωτός.* Et alibi. Apparet tres illas varias voces ad idem esse referendas, scilicet ad eam vestem, qua mulier a viro distinguitur, qua maxime ei opus est.

Sed nunc redeas quaeso ad Ecclesiazusarum locum, quem primo attuli. Praxagora noctu e lecto surgens pallium viri capit et pro eo encyclum suum in viro imponit. Qui cum primum expergefactus est, pallium non invenit, sed encyclum, quo uti non potest aut non vult. Surgit et prope lectum chitonium uxoris reperit, quod sibi circumicit. Omnia patent. Nam veteres nudos dormisse notum est, quamquam Boehlau (*p. 14*) videtur dubitare. Telemachus (*α 437*) tunicam exuit, cum cubitum it. Calypso surgens *φᾶρος* induit et *καλύπτρην* sibi circumicit, Ulixes tunicam et laenam (*ε 229 sqq.*). Candaulae uxor, cuius pulchritudinem Gyges clam admiratur, cubitum iens omnia vestimenta deponit (*Herod. I, 8*). Quo alio modo totam venustatem eius cernere potuit, nisi nudam eam conspexit? In vase quodam Corinthiaco Periclymenus e lecto Ismenae fugiens fictus est nudus; item Ismene cubans ipsa et albo colore, ita ut dubium esse non possit (*Welcker, alte Denkm. V, Tf. 14*). Posterioris aetatis exemplum afferre non possum; nam si Pittalacum noctu a Timarcho oppressum *γυμνόν* ad aram matris deorum fugisse (*Aeschin. I, cap. 25*), si Eratosthenem adulterum in lecto *γυμνόν* ab ingredientibus inveniri (*Lys. I, 24*) admonuerim, dixerit quispiam *γυμνόν* etiam eum, qui tunica sola indutus sit, a Graecis appellari (*v. s.*). Nihilominus quamdiu rem aliter se habere non demonstratum est, veterem morem sine vestibus dormiendi remansisse putem.

Nam mulieres in vestibus illis tenuiter plicatis dormivisse vix tibi persuadeas; et tuniculam ab eis sub tunica gestatam esse, quam noctu non deponebant, aut de nocturnis vestibus nusquam quidquam scriptum videmus. Itaque Praxagora nulla veste nisi pallio viri sese amicit, cum reliquae mulieres tunicis indutae in comitia eant, et relinquit duas vestes, quas cotidie gestat: longam tunicam (ἡμιδιπλοΐδιον, κροκωτίδιον, χιτώνιον) et encyclum, ex quibus illam Blepyrus capit.

Quae cum ita sint, Boehlaui tota explicatio omnium illarum vestium reicienda est. Exempla quae pro arbitrio suo affert (*p. 14—16*) nihil valent. Ne id quidem iam defendi potest diploidem et diploidion inter se differre, quia κροκωτός et κροκωτίδιον, χιτών et χιτώνιον ad idem spectant. Sed omnino non intellego, qua causa adductus illa vocabula eis vestibus muliebribus tribuerit, quarum exempla profert. Neque enim licet vocabula vindicare, quia apta esse n o b i s videntur. Sed monumenta cum libris veterum comparanda sunt. Si igitur nunquam diplois aut diploidion de veste muliebri usurpatur, ut est, utique vetamur ea vocabula eis vestibus tribuere, quibus in monumentis mulieres indutae cernuntur. Cum vero diplois solum apud viros commemoretur, nihil obstat, quominus grammaticos secuti eam esse homericam δίπλακα sive χλαῖναν διπλῆν sive δίπτυχα (*cf. Etym. M. p. 278, 46; ib. p. 278, 48; Hesych. et Etym. Gud. s. v. δίπλακα; Eustath. p. 1297, 62*) sumamus, cuius Studniczka p. 78 tria exempla attulit. Sic quoque intellegi potest, cur Antipater (*Anth. pal. VII, 65*) Diogeni μίαν διπλοΐδα tribuit, cum alibi philosophi cynici duplicem τρίβωνα dicuntur gestasse (*Diog. Laërt. VI, 1, 13*). Omnino du-

plex vestis est διπλοΐς, sive tribon sive laena sive himatium sive chlanis[24]).

Chitonium igitur cum longam vestem et corpori ipsi indutam esse statuerimus, est nihil aliud nisi ionica quae vocatur tunica, quam etiam aetate Aristophanea gestatam esse tot exemplis docemur. Sive apoptygmate augetur sive sinu sive utroque sive manicatus est sive non manicatus — est semper chiton sive chitonion. Apoptygmate instructum appellatur hemidiploidion, flavo colore tinctum κροκωτός(ν), κροκωτίδιον, amorgide textum, quam genus tenuissimi lini fuisse Boeckhium secutus putem[25]), ἀμόργινον χιτώνιον. Sed cum iam anteriore aetate formae dorici vestitus et ionici inter se confusae sint — hic ab illo apoptygma (et sinum?) mutuatus est — dubito an dorica e stis a pectore ad pedes consuta, quam nos doricum chitonem dicere solemus, a veteribus quoque χιτών sive χιτώνιον appellata sit, praesertim cum ex eo, quod Herodotus V, 87 non μετέβαλον, inquit, ἐς τὸν κιθῶνα, sed ἐς τὸν λίνεον κιθῶνα, etiam laneos chitones fuisse appareat. Neque omnino scio, quod aliud nomen e multis,

---

24) Moschophorus sive Sphenopogon ille (*Overb. Plast. I*[3], *p. 146*, *fig. 25*) non diploïde vestitus est (*sic Studn. Beitr.*, *p. 78*), sed brevi tunica artificiose plicata. Nam quinque rugas rectas et manicas longas cognoscere mihi videor.

25) Boeckh-Fraenkel, Staatshaushalt I, p. 132. A planta illa insula nomen accepit, ut Cyprus a planta Kopher (*cf. Keller*, *Kypros p. 4*). Fortasse amorginae tunicae et ex lino illo tenui textae et purpura tinctae erant, qua re adducti grammatici vocabulo tum purpuream tum linteam vestem significari dicunt. Quibus ex rebus id quoque elucet, cur in Plat. Epist. XIII, p. 363 A lintea chitonia amorginis opponantur.

quae tradita sunt, doricae vesti indam, cum πέπλος a poetis solis illa aetate de quacunque veste dici soleat, si non ad Minervae sacrum peplum spectat (*Studn. p. 133 sqq.*). Quo autem modo illam breviorem vestem in humeris aut humero confixam et supra tunicam indutam, quam Boehlau hemidiploidium nominare voluit, appellemus, in medio relinquendum est. Nam nimium vocabulorum nobis tradita sunt, quam ut unum alterumve iure ac merito pro illa veste vindicare possimus.

Ex eis, quae exposui, porro efficitur:

1) id quod Hermann-Bluemner (*griech. Privataltert. p. 188*), ubi de vestimentis muliebribus verba faciunt, dicunt: „Als Umschlagtuch wird uns besonders häufig ein Safrangewand (κροκωτός)[26] genannt", prorsus falsum esse, ut recte Boehlau (*p. 9, adn. 2*) evicit;

2) ne id quidem, quod et Hermann-Bluemner (*p. 191*) et J. Müller (*griech. Privataltert. p. 431*) contenderunt: sub tunica a mulieribus χιτώνιον sive χιτωνίσκον, h. e. brevem tunicam gestari solere, defendi posse. Nullo loco, nullo monumento hoc demonstratur. Nam ex eis mulieribus, quae ea indutae cernuntur (*Atalante in vase François.; Artemis passim, Iris* (*v. s.*), *Erinyes, cursrix Vaticana, aliae*) in universum concludere non licere patet. Neque magis licet inscriptionibus illis uti, quibus nisus Boehlau tam multa audacius contendit (*p. 20 sqq.*). Primum enim non cotidiana sunt vestimenta, quae deae, hic Dianae Brauroniae, offerri solent, sed exquisita et quam pulcherrime ornata. Deinde magistratus semper diligenter notasse, qualis esset vestis dedicata, non verisimile est. Alius

26) Etiam si Dionysiaca est vestis, induitur. Cf. Polyaen. V, 3, 3.

aliter notavit. An praescriptum fuisse eis putas, quid scriberent? Et invenimus in inscriptionibus C. I. A. 751 et 754 saepius ἱμάτιον commemoratum, quod et viri et mulieris et pueri esse potest. Re vera adscribitur παιδεῖον, ἀνδρεῖον, γυναικεῖον, at non semper. Nam legitur etiam solum ἱμάτιον λευκόν (*C. J. A. 754, 19 et 21*), quamquam si diligens fuisset magistratus, notandum fuit, ad cuius generis et aetatis hominem vestis spectaret. Itaque ne id quidem manifestum videtur, chitoniscos omnes mulierum esse (*Boehlau p. 22*) neque omnino verisimile, quia picturae, in quibus mulier eo vestita cernitur, haud ita crebro inveniuntur (*v. s.*). Apud scriptores autem fere semper chitoniscus ad viros aut adolescentes refertur. Duos tantum locos inveni, qui ad mulieres spectant; sed altero additur chitoniscum manicatum mulierem liberam non decere[27]), altero falsa est lectio[28]). Itaque Ammonius (*p. 148 Valcken.*) non sine aliquo iure contendit: *χιτώνιον καὶ χιτωνίσκος διαφέρει· χιτωνίσκος μὲν γὰρ ὁ τοῦ ἀνδρὸς χιτών, χιτώνιον δὲ τὸ τῆς γυναικὸς ἔνδυμα.* Neque enim unquam chitonium tunica virorum appellatur et multo saepius de veste muliebri usurpatur, quam χιτών.

Quae denique Boehlau de chitonio et chitone ex in-

---

27) Procop. Hist. Arcad. c. 9 Θεοδώρα . . χιτωνίσκον χειριδωτὸν ἀμπεχομένη, δούλῳ παιδὶ πρέποντα . . .

28) Demosth. XIX, p. 403: servus mulierem quandam verberare iussus postquam chitoniscum eius scidit, verberat. Scholiasta autem ad Arist. Nub. 320 exhibet χιτῶνα, quod anteferendum est. Cum enim servus vestem scindat, ut nuda vapulet mulier, aut, si chitoniscus supra tunicam longam, qua caruisse illa non potest, fuit, ut fit, haec quoque scindenda erat, aut si sub tunica erat, praeterquam quod nunquam fit, verba essent obscura.

scriptionibus effici posse dicit (*p. 23*), imprimis: utrumque linteum fuisse, vana sunt. Nam si Melissa, Proclis filia, μονοχίτων appellatur (*Athen. XIII, p. 589 f*), quia peloponnesiace vestita fuerit, h. e. vetere peplo sive dorico chitone qui vocatur, si Victoriae in pompa illa dionysiaca Ptolemaei Philadelphi ζῳωτοὺς ἐνδεδυκυῖαι χιτῶνας, qui lanei fuisse debent, cum figurae lino intexi non possint, ingrediuntur (*Athen. V, p. 197 e*), concedes vocabulum χιτών etiam ad laneas et doricas tunicas esse relatum. Sed supra aliis causis nisus hoc iam eruebam (*cf. p. 38 sq.*). — Boehlau etiam inter chitones et chitonia discernit; illos fuisse simplices et manicatos, haec neque manicata et duplicia aut simplicia. At primum iam per se ipsum apparet nullo modo e vocabulis explicari posse, cur eo modo inter se differant. Deinde supra demonstravi magistratus non sibi constitisse, eis non esse confidendum. Itaque illis paucis inscriptionibus nisum tantas differentias statuere audacius est. Et Boehlau denique eo pervenit, ut sibi ipse repugnet: laneam vestem, quae in exemplis p. 14 invenitur et hemidiploidium ab eo putatur, p. 23 inter lintea vestimenta numerat.

V.

De virili vestitu saeculi quinti.

Tunica longa lintea, quae a viris diu Athenis gestata est, priore dimidio saeculi quinti deponitur. Cuius rei testis est Thucydides (*I, 6*), qui his verbis utitur:

Καὶ οἱ πρεσβύτεροι αὐτοῖς τῶν εὐδαιμόνων διὰ τὸ ἁβροδίαιτον οὐ πολὺς χρόνος ἐπειδὴ χιτῶνάς τε λινοῦς ἐπαύσαντο φοροῦντες .... μετρίᾳ δ' αὖ ἐσθῆτι καὶ ἐς τὸν νῦν τρόπον πρῶτοι Λακεδαιμόνιοι ἐχρήσαντο ...

A Thucydide pendet scholion quoddam, quo et Eustathius (*p. 954, 50*) et Clemens Alexandrinus (*Paed. II, 105, cap. X*) utuntur. Heraclides autem Ponticus (*Athen. XII, p. 512b*)[29]), cuius verba fere repetit Aelianus (*V.*

---

29) *Καὶ ἡ Ἀθηναίων πόλις, ἕως ἐτρύφα, μεγίστη τε ἦν καὶ μεγαλοψυχοτάτους ἔτρεφεν ἄνδρας. Ἁλουργῆ μὲν γὰρ ἠμπίσχοντο ἱμάτια, ποικίλους δ' ὑπέδυνον χιτῶνας, κορύμβους δ' ἀναδούμενοι τῶν τριχῶν, χρυσοῦς τέττιγας περὶ τὸ μέτωπον καὶ τὰς κόμας ἐφόρουν· ὀκλαδίας τε αὐτοῖς δίφρους ἔφερον οἱ παῖδες, ἵνα μὴ καθίζοιεν ὡς ἔτυχεν. Καὶ οὗτοι ἦσαν οἱ τοιοῦτοι, οἱ τὴν ἐν Μαραθῶνι νικήσαντες μάχην, καὶ μόνοι τὴν τῆς Ἀσίας ἁπάσης δύναμιν χειρωσάμενοι.*

h. IV, 22), per se stare mihi videtur, etsi Studniczka (*p. 25, adn. 75*) Thucydidis verba ab eo exornata esse dicit. At non solum exornat, sed novi aliquid addit. Neque enim Thucydides de palliis purpureis neque de sellis verba facit. Supra autem reperimus semper ἱμάτιον ἁλουργόν ad luxuriam ionicam spectare. Praeterea χιτῶνες ποικίλοι non minus saepe quam albi in vasis antiquioribus finguntur (*exempla v. s. p. 15*). Itaque Thucydidis sententiam Heraclidis verbis, quae unde hausta sint, in medio relinquendum est, confirmari puto. Accedunt versus illi Equitum (*1323 sqq.*) saepe citati (*Studn. p. 25*), ubi Demos vetere habitu ornatus inducitur; denique schol. Nub. 984, quod ad aureum ornatum solum tendit [30]).

Haec sunt testimonia e libris veterum collecta. Quid autem monumentis docetur? Primum tunica longa in vasis severae artis priscae desideratur (*cf. senem [Phoenicem?] Gerh. A. V. B. 211/12; Tyndareum vasis Execiae Gerh., etr. u. kamp. V. B. Tf. D, 4 = Wien. Vorlegebl. 1888, Tf. 5; Priamum Overb., her. Gal. Atlas, Tf. 20, 3; senem Gerh. A. V. B. 248, 1; Plutonem ib. 87*). Posteriore aetate exempla augentur, ex quibus imprimis tabulam pictam commemorem, qua πρόθεσις mortui repraesentatur (*Benndorf, griech. u. sizil. Vasenb. Tf. I = Bm.*

30) Cf. etiam Strab. X, 3, 8, ubi Leonidas cum suis ante proelium capillos pectentes a Persis contempti esse narrantur, quod ad crobylum referendum videtur. Nam asiaticum illum habitum etiam in doricas civitates transisse et monumentis et libris confirmatur. Cf. tabulas pictas Corinthiacas (*Antike Denkm. I, Tf. 7/8; Berlin 347 sqq., 1655*), anaglypha Lacedaemonia (*Athen. Mitteil. 1877, Tf. 20 sqq.*), Paus. V, 18, 3; 19, 6 (*Studn. Beitr. p. 18*).

fig. 217, p. 238). Nemo virorum tunica longa indutus est. Cui similis tabula est nuper edita, viros clamantes ostendens (*Ephem. 1889, πιν. 11*). Etiam saepius pallium solum invenitur in vasis, quae rubris figuris ornata sunt (*cf. Gerh. A. V. B. 278—284*). Non mihi enumerare opus est exempla, quae in vasis Duridis, Euphronii, Hieronis, Brygi et apud reliquos meliores pictores reperiuntur. Post quorum aetatem longa tunica prope evanescere videtur, quamquam hic illic cernitur (*Benndorf l. l. 46, 1; 39*).

Neque aliter in arte statuaria res sese habet, etiamsi perpauca sunt conservata monumenta, ex quibus cognoscatur. In columna Lyseae (*Athen. Mitteil. 1879, Tf. 1*) tunica longa invenitur[31]). Deest autem iam in columna Alxenoris (*Friederichs-Wolters, Bausteine no. 20 = Brunn-Bruckmann, Denkmäler no. 41*), qua non agricolam quendam, sed hominem nobilem fictum esse verisimile est; quia talem stelam pauper vix sibi parere potuit. Quae etsi in Boeotia reperta et fortasse facta est, tamen, quod etiam eo longam tunicam penetrasse conicere possumus, digna est quae commemoretur. In pompa vero zophori Parthenonis apud tot viros ne una quidem tunica veteris generis reperitur. Et ab illa aetate in cotidiano vestitu frustra eam quaeras[32]).

Pro vetere ratione pallii a tergo pariter imponendi novam

---

31) Figura quae in currum ascendit (*Fried.-Wolt. 87*) non virilis, sed feminea est propter vestitum. Nam aurigae semper fere longa tunica sola vestiti sunt; interdum pellis additur, aetate posteriore etiam pallium solum invenitur, nunquam vestitus huius figurae. De reliquis causis cf. Fried.-Wolt. l. l.

32) Ab aurigis, sacerdotibus, aliis eam reservatam esse notum est (*cf. Studn. adn. 76*).

oblique circumiciendi (*v. s.*) eis, qui tunicam longam deposuerunt, recipiendam fuisse, ut anteriorem partem corporis nudam obtegerent — sc. si non chlamydem gestabant — consentaneum est. Et in monumentis ubique invenimus. Nam desiderium nudas partes velandi, postquam longa tunica gestari solita est, maius factum erat quam anteriore aetate, qua et adulescentes et iuvenes una laena contentos fuisse supra vidimus. Sed quae vestis longae tunicae loco usurpatur a viris? Iterum atque iterum circumspicimus: nulla! Attamen scriptum videmus:

1) in Hermanni-Bluemneri libri p. 175: „Während der Mangel des Unterkleids höchstens Dürftigkeit verriet, die der doppelt genommene Mantel (*τρίβων*) leicht ersetzte, ward ein Mann ohne Obergewand für nicht viel besser als ein Nackter angesehen; doch kam die statuarisch häufige Tracht des Mantels ohne Unterkleid im Leben nur ganz vereinzelt vor“;

2) apud I. Muellerum (*l. l. p. 425*): „Die völlige Hingebung des antiken Gewandes an die Gestalt ist es vor allem, welche demselben seine ewige künstlerische Geltung verleiht.“ Sunt verba Conzii (*Teirichs Blätter für Kunstgew. IV, 62*). Additur adnotatio 6: „Daher begreift es sich, dass die Kunst, von der gewöhnlichen Sitte im Leben abweichend, sich Darstellungen im Himation ohne Chiton erlaubte“.

Etiam Studniczka videtur sic sensisse, qui locum linteae tunicae tum lanea teneri putet (*Beitr. p. 26*).

Artifices igitur — sic aiunt — ut venustates corporis humani melius ostenderent, tunica neglecta pallium eligebant solam vestem. Praeterquam quod id non semper faciunt — brevis enim tunica cum pallio in statuis Aeschinis Menandri aliorum invenitur — neque in statuis

tantum (*cf. Herm.-Bluemn.*), interrogo, num re vera artifices graeci illud egerint. Minime. Cur exempli causa Tyndareus, quem supra commemoravi, hercle *πρεσβύτερός τις τῶν εὐδαιμόνων*, in vase archaico pallio solo indutus fingitur? Ut venustas corporis ostendatur? Ridiculum est. In tabula illa picta (*Benndorf l. l. 1*) versamur in hominis divitis domo. Videmus enim columnas, lectum pulchre ornata. Attamen propinqui adulescentis mortui solo pallio vestiti sunt. Dixeris in promonturio Coliade, ubi tabula reperta est, longam tunicam gestari non esse solitam. At etiam in tabula Athenis reperta (*Ephem. 1888, πιν. 11*) viri pariter vestiti sunt. Quae in monumento sepulcrali afficta videtur fuisse, cuius impensam haud scio an pauper homo praestare non potuerit. Figulos autem, cum non pro se, sed pro nobilibus vasa facerent, etiam eorum mores, non suos sequi coactos fuisse concedes. Sed etiam Hipparchum, tyrannum ipsum (*Arch. Zeit. 1883, Tf. 12*) tunica carentem videmus, quamquam longam linteam ab eo olim gestatam esse certum est. Quam praetermisit pictor, quia etiam mores tyrannorum aetatis imitandos esse non sensit, ut nos, sed cur etiam brevem tunicam? Ut corporis lineas ostenderet? Num arte pingendi minus dignum est sinuosas vestes fingere, quam corpus nudum humanum? An formae eius melius tunica omissa exprimi poterant? Et hic pictor tyrannum a parricidis distinguendum esse sentiens vestem eius et limbo et fimbriis exornavit, tunicam, quae ante omnia divitis esse dicitur, non dedit. Non aliter in reliquis vasis supra allatis (*Gerh. A. V. B. 278—84*) res sese habet. Divites certe sunt, qui caris pueris dona ferunt. Sed etiam zophorum Parthenonis, ex quo tot artifices tot analgyphorum et statuarum hauserunt, examinemus. Ubi-

que artificem studio varietatis commotum fuisse et commoveri debuisse cognoscimus: apud virgines reperimus tunicam manicatam et non manicatam, ionicam et doricam; apud equites modo tunicam solam aut brevibus aut longis manicis instructam, modo chlamydem solam, modo utramque (*Michaelis, Parthenon Tf. X sqq.*). Quid reperimus apud pedites? Eandem quidem varietatem: pallium hic circa coxas positum est, illic supra ambos humeros, ita ut totum corpus veletur, partim supra laevum, partim supra dextrum. Sed tunica ubique frustra quaeritur. Cur non etiam vestimenta ipsa variare potuit artifex? Illi tribuere tunicam et pallium, huic pallium solum, ut cuiusdam vasis (*Mon. VIII, 27*) pictor, cui illa aetate licebat, alium tunica longa et pallio, alium pallio solo vestitum induxit? Excusari non potest eo, quod corporis pallio solo induti pulchritudinem demonstrare voluit. Nam cur non, si id studebat, adulescentibus tunica dempta ubique chlamydem solam dedit? Immo etiam corpus pluribus vestibus velatum ostendere studebat. Quod cur minus pulchrum sit, intellegi non potest. Itaque artifex, si potuisset, morem secutus, etiam viris tum tunicam dedisset, tum non dedisset. Sed mos repugnabat. Nullo alio modo explicari potest Quantumcunque igitur miri in ea re inesse nostrae naturae videtur, confitendum est: Athenienses non solum non tunicam linteam longam ubi primum deposuerunt, sed omnino nullam tunicam sub pallio gestabant.

Iam redeamus ad Thucydidem, cuius verba prorsus aliter explicari debent, atque ab Studniczka explicata sunt. Tunicae linteae non omnino deponuntur, nam breves etiam postea inveniuntur — scilicet cum chlamyde coniunctae —, sed tantum longae. *Τὸ ἁβροδίαιτον* autem

non in ea re positum esse iudico, quod lini tactio corpori mollior et gratior sit, quam lanae (*Studn. Beitr. p. 20*), sed in vestium cumulatione, qua semper mollities, etiam apud nos, significatur. Illud autem *μετρίᾳ ἐσθῆτι* eodem spectare puto, non ad materiem vestium minutam (*Studn. Beitr. p. 26*), sed ad numerum. Neque enim ubique vestes breviores fieri videmus. Quin etiam pallium virorum multo maius fit, quia unica vestis est.

Accedit vero gravior res. Thucydidis enim verba *μετρίᾳ δ' αὖ ἐσθῆτι καὶ ἐς τὸν νῦν τρόπον πρῶτοι Λακεδαιμόνιοι ἐχρήσαντο* magis premi possunt. Nam quo modo vestiti Lacedaemonii fuisse semper a scriptoribus traduntur? Una veste: pallio vel tribone. Ut Plutarchus (*Lyc. c. 16*) *Γενόμενοι δὲ*, inquit, *δωδεκαετεῖς ἄνευ χιτῶνος ἤδη διετέλουν ἓν ἱμάτιον εἰς τὸν ἐνιαυτὸν λαμβάνοντες*, et Xenophon (*resp. Lac. 2*): *καὶ ἀντί γε τοῦ ἱματίοις διαθρύπτεσθαι ἐνόμισεν* (*sc. Lycurgus*) *ἑνὶ ἱματίῳ δι' ἔτους προςεθίζεσθαι νομίζων οὕτω καὶ πρὸς ψύχη καὶ πρὸς θάλπη ἄμεινον ἂν παρασκευάσασθαι*[33]. Quamquam Xenophon nonnullas leges Lycurgi sua aetate non iam viguisse dicit, tamen cum in monumentis lacedaemoniis tunica sub pallio non inveniatur, non est, cur lex vestiaria inter laesas illas numeranda sit. Neque aliam vestem praeter pallium a Lacedaemoniis unquam gestatam fuisse — praeter aetatem tunicae longae — quisquam doctus contendit (*e. c. Studn. p. 77*). Idem sequitur ex exemplis Agesilai, qui uno tribone vestitus erat, et philosophorum, qui mediocritatem Lacedaemoniorum imitantur

33) Etiam pueros Cretenses aestate et hieme una veste contentos fuisse Pseudo-Heraclides tradit (*Fr. hist. gr. II, p. 211*).

(*Plut. Mor. p. 210 C; Ael. V. h. VII, 13; Plut. Ages. 14, 4; Diog. Laërt. VI, 1, 13; Plat. Prot. p. 342 C*)[34]).

Sed de Atheniensibus quoque ipsis libri veterum perscrutandi sunt, quid forte de ea re doceant. Ac primum ab hominibus doctis semper *γυμνός* illud profertur, quo nisi tunicam sub pallio gestatam esse contendunt. Re vera et viros et mulieres quamquam tunica induti sint, nudos appellari negari non potest. Nam Aristophanes in Lys. v. 150 Calonicam facit dicentem:

κἂν τοῖς χιτωνίοισι τοῖς ἀμοργίνοις
γυμναὶ παρίοιμεν ...

Et Ioannes evangelista (*XXI, 7*) *Πέτρος*, inquit, *τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο — ἦν γὰρ γυμνός — καὶ ἔβαλεν ἑαυτὸν εἰς τὴν θάλασσαν.* Loci certe augeri possunt (*cf. Steph., Thesaur. s. h. v.*). Sed semper a Graecis vocabulo *γυμνός* homines tunica indutos — si quidem ad vestimenta spectat — significatos fuisse demonstrari non potest. Quo enim verbo utendum erat, si re vera aliquis nudus cernebatur? Phryne quidem quamvis chitonio non induta nuda apellatur apud Athenaeum (*XIII, p. 590 f*): *διόπερ οὐδὲ ῥᾴδιον ἦν αὐτὴν ἰδεῖν γυμνήν· ἐχέσαρκον γὰρ χιτώνιον ἠμπείχετο.* Atque cum Graecos nudos dormisse supra viderimus, etiam Eratosthenem adulterum (*Lys. I, 24*) et Pittalacum ad aram fugientem (*Aeschin. I, 25*) re vera nudos fuisse sumere debemus. Sed omnino non homines tunica indutos semper nudos dici apparet e Platonis loco quodam (*Leg. XII, p. 954 a*), quo iurare quidam *γυμνὸς ἢ χιτωνίσκον ἔχων* iubetur, et Demosthenes (*XXI,*

34) Si Gelon *ἀχίτων ἐν ἱματίῳ* cum militibus convenit (*Diodor XI, 26*), longa tunica lintea carens significatur, id quod tum in tyranno mirum erat.

p. 583) non scripsit, ut Hermann-Bluemner (*p. 175, adn. 4*) dicunt: *ὥστε . . με . . φοβηθέντα τὸν ὑμέτερον θόρυβον θοἰμάτιον προέσθαι καὶ γυμνὸν ἐν τῷ χιτωνίσκῳ γενέσθαι*, sed *μικροῦ γυμνόν*.

Inde elucet, si quis tunicam sub pallio gestatam esse demonstrare velit, vocabulo *γυμνός* niti ei non licere.

Aliis autem locis scriptorum sententiam meam etiam confirmari iudico. Ut enim ad Ecclesiazusarum versus, de quibus supra verba feci, redeam, primum apparet Blepyrum, cum nudus dormitaret, tunica postea non vestitum fuisse. Nam exsurgens non tunicam primam quaerebat, sed calceos et pallium, quo non reperto chitonion uxoris pro pallio sibi circumicit (*v. 315*). De tunica nullum verbum. Deinde Praxagora, quae viri vestitum imitari vult, non tunicam brevem induit, supra quam pallio se amicit, sed hoc tantum aufert. Nusquam etiam tunica viri ab ea sumpta esse narratur, quod necessarium erat, si tunica brevis inter viri vestes numeranda est. Quamobrem postea in comitiis Praxagora reliquas mulieres propter id et chitonia breviora reddere (*v. 268*) et humerum nudare (*v. 267*) iubet, non ut tunicam brevem virilem imitentur, sed ne chitonion omnino a viris conspiciatur. Nec vero plus opus erat. Nam reliquae partes pallio obtegebantur. Dixerit quispiam mulieres verbo *ἐξωμισάσαις* iuberi non tunicae manicam — ionicam enim vestem hic chitonion esse videri supra (*p. 34*) exposui — solvere, sed humerum pallio nudare, h. e. pallium sub bracchium dextrum trahentes sibi circumicere. At primum Aristophanes de exomide, quae est tunica in altero humero non confixa, videtur cogitasse, deinde manicis longis mulieres esse statim demonstratum esset. Accedit aliud. In versu 60 eiusdem fabulae mulier *A* se densissimos crines sub

humero gestare confitetur. Cum igitur chitonia illa vestes ionicas linteas manicatasque fuisse verisimile sit, illud ineptum fuisset, si non humerum et bracchium detexissent.

Etiam Thesm. v. 214 adiuvamur. Mnesilochus enim vestimentum suum cum muliebri Agathonis commutare debet. Euripides autem eum non complures vestes deponere iubet, sed dicit: *ἀπόδυθι*[35]) *τουτὶ θοἰμάτιον.* Ex eis autem quae sequuntur, Mnesilochum nudum esse apparet. Neque enim unquam de tunica verbum fit, quamquam in crinibus cremandis tollenda erat, ne combureretur. Praeterea eam non muliebris vestitus esse supra vidimus.

Itaque apud Aristophanem tunica brevis sub pallio inveniri non videtur[36]). Quamquam concedi potest fortasse a senibus eam non fuisse contemptam (*cf. Equit. 881; Xen. Comment. I, 6, 2*). Valde dolendum est, quod tam pauci sunt loci, ex quibus de vestitu saeculi quinti aliqua sumere possimus[37]). Plures vero sunt scriptorum quod sequitur saeculi. Quo mores mutati sunt, fortasse quod Athenienses illa aetate cum Persis magis versabantur, quam antea. Socrates quidem (*Plat. Alc. p. 122 c*) illam *ἱματίων ἕλξιν* suae (et posterioris)[38]) aetatis *ἁβρότης τῶν Περσῶν* appellat (*cf. etiam Plat. Alc. 1*). Brevem

---

35) *ἀποδῦναι* non solum ad vestes indutas, sed etiam ad circumiectas referri posse, e Lysiae p. 117, 6 sequitur.

36) Ran. 1067 nihil nisi divitibus crassam tunicam esse dicit.

37) Nam sit acta Ecclesiazusae fabula 392 aut 389, tamen mores omnium Aristophanis fabularum ad quintum saeculum videntur spectare.

38) Nam etiam Aeschines *θοἰμάτιον καθεὶς ἄχρι τῶν σφυρῶν* per forum ingrediebatur (*Dem. XIX, p. 442*). Idem

autem tunicam re vera tum interdum pallio additam esse e compluribus locis cognoscimus. Ut inter vestes et res, quibus Hippias iustructus est, ἱμάτιον et χιτωνίσκος commemorantur (*Plat. Hipp. min. 368 c*). De Cleanthe traditum est: ἡγούμενον δὲ τῶν ἐφήβων ἐπί τινα θέαν ὑπ᾽ ἀνέμου παραγυμνωθῆναι καὶ ὀφθῆναι ἀχίτωνα· ἐφ᾽ ᾧ κρότῳ τιμηθῆναι ὑπ᾽ Ἀθηναίων. (*Diog. Laërt. VII, 5, 169*). Ergo mirum erat illa aetate tunica non uti. Etiam Demosthenis locus (*XXI, p. 583*) supra allatus: θοἰμάτιον προέσθαι καὶ μικροῦ γυμνὸν ἐν τῷ χιτωνίσκῳ γενέσθαι, aptus est ad demonstrandum. Et Lysias cum scribit: εἴ τις ἀπάγοι τινὰ φάσκων θοἰμάτιον ἀποδεδύσθαι ἢ τὸν χιτωνίσκον ἐκδεδύσθαι, duas vestes cotidianas, quae una gestabantur, videtur nominare (*p. 117, 6*).

Quae cum ita sint, concedendum est quarto saeculo et postea tunicam si non longam, tamen brevem sub pallio gestari iterum esse coeptam. Quod monumentis confirmatur. Nam invenimus eam in statuis illis musei vaticani, quae Menandrum (*Friedr.-Wolt., Bausteine 1622*) et Posidippum (*Friedr.-Wolt., 1623*) fingunt, invenimus in Aeschinis statua (*l. l. 1316*), alibi. Sed haud minus saepe desideratur, ut in Demosthene (*Friedr.-Wolt. 1312*) [39]), Sophocle (*ibid. 1307*) et plerisque anaglyphis.

Archippus filio Alcibiadis opprobrio dat (*Plut. Alc. 1*). Cf. de ea re etiam Quint. XI, 3, 143.

39) In Demosthenis statua artifex tunicam omisit, quod fortasse pallium solum gestare illius oratoris magis esse ei visum est, etsi ne eum quidem molles tunicas et tenues chlanides aspernatum esse comperimus ab Aeschine (*Tim. 53, 143*) si hic non calumniatur; apud Sophoclem autem re vera veteris moris recordatus videtur esse.